

Causa antecedens seu minera Melancholiæ Hypochondriacæ est humor melancholicus peculiariter dispositus; in hypochondriis, sinistro quidem cum primis ac circa lienem collectus; omnibus tamen nonnunquam etiam in viscerum, in iis contentorum, vasis cumulatus ac restagnans; vapores ac fumos congeneres, tetros, atros, ac tenebricosos ad cerebrum mittens.

χολιον.

HYPOCHONDRIA, communem quasi sententiam universæ corporis humani Oeconomix esse, supra dictum, autoritatibusq; ac experientia confirmatum est. Plurimosq; in iis semper colligi ac hæere vitiosos humores, variorum affectuum, ac innumerorum ferè, causas; ex *Fernel. & Senn.* testatum fecimus. FEBRIUM enim, tertianarum, quotidianarum, quartanarum ac erraticarum fomitum, ac putrescentes humores in iis hæere, ex *Senn. libr. d. febr. aliorumq;* patet. SCORBUTI quoq; affectus sanè gravissimi ac atrocissimi, inq; formas diversas variabilis, sævissimisq; symptomatibus homines affligentis, mineram ac causam ibidem stabulare, humoribus specificam istam corruptionem adeptis *Senn. in tract. d. Scorbut. Horst. & alij plurimi* docent. MALUM HYPOCHONDIACUM quoq; in specie ita dictum, notum satis hodie omnibus affectum; præcipuè vero iis, qui nimis strenuam literis navant operam, familiarem, nostriq; genitorem ut plurimum; hos agnoscere ortus ac mineræ suæ domicilium in his ponere, nullum est dubium, autoritatibusq; ac experientia comprobari potest. *Senn. l. 3. pr. med. p. 5. s. 1. c. 2.*

NOSTRUM verò affectum huic cognatum maximè, & ut jam dictum, cum eo ut plurimum conjunctum, his quoq; locis, & sinistra eorum parti cum primis ac primariò, ortum suum debere, ex iisq; primordia ducere; præter autoritatis testimonia, & experien-